PROBLEMATA MEDICA

MISCELLANEA,

Solennis exercitij gratia ad disputandum in inclyta Argentoratensium Academia proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,

MEDICINAE DOCTORE ET PROfessore, Comite Palatino Cæsareo, Reipubl. Archiatro, & Collegii S. Thomæ Præposito:

RESPONDENTE

JOHANNE CLAUDIO Freyburger/ Suevo-Rottwilano.

Ad Diem ij. Mens. Septemb.



ARGENTORATI

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LXI.



VIRIS

NOBILIBUS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS, ATQUE PRUDENTISSIMIS,

DN. HILARIO Kraft.

DN. MATTHIAE Rennern.

Inclytæ Reipublicæ Rottwilanæ Consulibus & Prætoribus,

CÆTERISQUE

Cæsarei juxtà, ac Civici Consilij Adsessoribus atq́ Senatoribus, Patriæ Antistitibus,

Sempiternùm honorandis,

Medicam hanc Disputationem observantiæ debitæ μνημόσυνον.

dedicat
ac consecrat

JOAN: CLAVDIVS Freyburger
Suevus - Rottwilanus.

PROBLEMA I.

AN dolor dolorem sedet? *Dictum istud apud* Hippocratem libr. 6. epidem. sect. 2. *extat. Et videtur prima fronte quandam habere veri speciem, quoniam sectiones, ustiones, castrationes, calculorum vesicalium extractiones, dentium evulsiones dolorificæ sunt, & dolores dentium, vesicæ, aliarumq; partium, quæ dolent, tollunt. Verùm* Galenus comm. 2. in libr. 6. epidem. §. 9. *distinguit: quòd scil. dolor, non quatenùs dolor, per se & propriè dolorem alium auferat, sed duntaxat per accidens. Non enim à dolore, sed vel à sectione & amputatione, vel ab ustione, vel ab extractione, quæ citra dolorem institui nequit, dolor extirpatur. Quodsi, inquit, absque dolore pars aliqua secari, uri, amputari, extrahive posset, dolor ejus nihilominùs evanesceret. Quare non dolor per se, sed ipsa operatio, quæ sine sensu doloris exerceri non potest, præsertim in ejusmodi partibus, quæ accurato exquisitoque sensu praeditæ sunt, ablati doloris causa est. Simile enim simile per se non curat; sed omnis curatio per contraria instituenda est: sive morbum eradicare, sive causam morbificam eximere, sive urgens symptoma fugare fuerit animus. Quodsi dolor mitigandus, aut omninò delendus sit, usurpanda sunt vel propriè dicta ἀνώδυνα, quæ causa permanente dolorem leniunt, παρηγορικὰ καὶ πραΰντικὰ aliâs appellata:*

ta: vel causam illius eliminantia: vel stupefacientia, quæ à Græcis ναρκωτικὰ appellantur. Stupefacto enim sensu, pars minimè dolet: quoniam ubi dolor, ibi necessariò sensus requiritur.

II.

AN rectè dixerit Hippocrates libro de locis in homine, uterum omnium morborum muliebrium esse causam? Et utrum in epistola ad Demetrium Regem verè scripserit, radicem humanorum morborum esse caput, maximosque morbos ex illo homini accidere? *Respondetur ad quæsitum prius, dictum* Hippocratis *non sic intelligendum esse, quasi uterus omnium muliebrium affectuum in universum, nullo excepto, causa sit, sed quòd plurimorum. Videtur enim συνεκδοχικῶς locutus, & universale pro particulari posuisse. Nam ad uterum sæpenumerò superfluitates aliarum partium ablegantur, & partes per illum se exonerant, quemadmodum in fluxu albo, quem* Hippocrates aphor. 56. sect. 5. ῥοῦν γυναικεῖον *vocat, apparet: cujus tamen causa ad uterum non semper referri potest. Plurima autem morborum agmina & virginibus, & viduis, & maritatis, & prægnantibus, & parturientibus, & puerperis, & lactantibus eveniunt: eaque vel ob uteri morbos similares, organicos & communes: vel ob sanguinem menstruum suppressum, immodicè fluentem, diminutum, corruptumve & labefactatum: vel in puerperis ob lochialia purgamenta itidem retenta prorsùs, parcè exeuntia, aut aliâs vitiata: vel in aliis ob semen genitale vitiatum.*

Ad secundum respondetur similiter, *quòd locutio* Hippocratis *sit synecdochica. Fons quippe & scaturigo multorum & gravissimorum hominis morborum est cere-*

cerebrum: ut exemplo apoplexiæ, paralyſeωs, maniæ, melancholiæ, phrenitidis, convulſionum, lethargi, catalepſeωs, defluxionum ad inferiores partes, aures ſcil. oculos, nares, fauces, aſperam arteriam, pulmones, ventriculum, ſpinalem medullam, loca alia, declarari poteſt.

Cauſam Hippocr. lib. citato *eſſe perhibet, quoniam caput veluti cucurbita corpori incumbit: quo fit, ut caput varios humores, vapores, fœtores, & fuligines excipiat. Quæ cauſæ ſi in eo retineantur, affectus modò enumeratos, & alios ſuſtinere cogitur.* Poteſt tamen & alia cauſa dari, *cerebri ſcil.* κρᾶσις, *quæ frigida eſt & humida, multamque pituitæ, ſeri & aquæ copiam producit. Quo nomine idem* Hippocrates *cerebrum haud immeritò libro* περὶ ἀρχῶν μητρόπολιν τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδεος, *ſedem quaſi primariam frigidi & glutinoſi cognominavit. Eſt ergo cerebrum plurimorum hominis affectuum, & quidem graviſſimorum, at non omnium in univerſum radix.*

III.

NUnquid verum illud ſit, quod apud Hippocratem legitur lib. 6. epidem. ſ. 4. *pro ut oculi valent, ita & corpus reliquum?* Hippocrates *hoc dicto oſtendit, quomodo ex oculorum robore, & infirmitate, reliqui corporis robur, & infirmitatem explorare liceat? Ait enim, oculos firmam nobis hujus rei præbere notitiam, ſi quis illos diligenter inſpexerit, & motum, colorem, molem, ſplendoremque & puritatem eorum probè conſiderârit. Ex illis namq; robur & infirmitatem virium clariſſimè elucere. Quodſi quis illos neglexerit, de virium conditione non omninò certus eſſe poterit. Acutè videre, palpebras habere apertas, oculos florido præditos eſſe colore,*

 plenio-

pleniore constare mole, & humorum adesse splendorem, signa sunt, quæ evidenter nos de virium robore ac firmitate certiores reddunt. Contrà, videre obscurè, conniventes & imperfectè apertas habere palpebras, alieno & vitioso oculos esse colore infectos, oculos esse cavos, squalidosque, virium debilitatis sunt indicia.

Causa autem, *cur ex oculis sciatur, virium corporis adesse robur, aut debilitatem, est, quoniam magna spirituum animalium copia, & quidem luminosorum, à cerebro ad oculos transmittitur. Nervi enim optici sunt valdè porosi, ita ut per illos facilis sit spirituum ad oculos transitus. Hi ergo, quando visoriæ facultatis accidit debilitas in morbis, palàm faciunt, & reliqua corporis membra, in quibus tanta istorum spirituum copia non est, esse debilitata. Celeriùs autem, inquit* Galenus, *colores mutantur in oculis, quàm in cæteris corporis membris, ob munditiem nitoremque eorum. Nam quò quid est purius & nitidius, eò magis etiam alieni deformesque colores in illo animadvertuntur.*

IV.

CUr Hippocrates l. 6. epidem. sect. 4. dixerit, quibus plurimus est calor, eos esse μεγαλοφωνοτάτους, maxima voce præditos? Hippocrates *statim duas subjungit causas. Primò calorem plurimum, scil. in corde, addit* Galenus in comm. 4. in lib. Hippoc. 6. epidem. §. 24. *Hic enim focus ingeniti est caloris. Deinde aërem copiosum, qui inspiratu adducitur. Oportet autem ad vocem magnam edendam etiam causas accedere alias: nempè amplitudinem asperæ arteriæ, magnitudinem thoracis, cordis & pulmonum. Multus enim aër, quando calor in corde abundat, magnæ vocis est materia. Multus*

autem

autem aër per amplam arteriam asperam, amplosque pulmones & thoracem inspiratur: & vicissim multus iterùm expiratur per eadem hæc organa. Ideòque necesse est, ut magna etiam inde vox formetur. Nam ex pluribus magnis, magna quoque, quæ inde proficiscuntur, existunt, inquit Hippocrates. *Vtramque magnæ vocis causam, calorem scil. & aëris copiam,* Aristoteles *quoque agnoscit* problem. 3. sect. 11. *Calor enim cordis multus copiosum requirit pro sui ventilatione & refrigerio aërem frigidum. Multus igitur aër, sicut in inspiratione attrahitur, ita in expiratione celeriter per ampla illa organa, iterùm expiratur; undè vox magna oboritur.*

V.

AN morbi novi, qui priùs observati non fuerunt, generari queant? *Sciendum, novum morbum tripliciter dici posse. I. qui simpliciter & absolutè talis est, & nullibi locorum priùs observatus. II. qui secundùm quid novus est, nostris scil. regionibus incognitus, alijs verò familiaris. III. qui non quidem prorsùs novus est, sed tamen sub alia forma & accidentibus quibusdam alijs à nobis animadvertitur. Omnibus autem tribus modis novos oriri posse morbos asseveramus, vestigia secuti* Plutarchi lib. 8. convivalium quæst. 9. Celsi lib. 1. in præfat. Plinii lib. 26. cap. 1. Fernelii lib. 1. παθολ. cap. 7. Vallesii lib. 5. controvers. cap. 17. Langii l. 2. Epistol. 13. & Fracastorij l. 2. de morb. contagios. cap. 12. *Placet exempla quædam in medium proferre.* Thucydides l. 2. de bello Peloponesiaco *scribit, pestem illam, quæ Athenis suo seculo oborta est, & qua ipse quoque laboravit, à nemine unquam fuisse observatam; idque ob gravissima symptomata, quæ in nostrarum regionum pestilen-*

tia minimè deprehenduntur. Plinius *Mentagræ cujusdam, Gemursæ, Coli, & Elephantiaseos Aegyptiorum meminit.* Fernelius *inter novos morbos novis & inauditis ex causis ortos, paraplegiam quandam, urentes ardores, gravedines anhelosas, & sudorem illum Anglicum, qui Gallos Anno* 1510. *&* 1558. *Germanos verò & Romanos Anno* 1580. *infestavit, recenset.*

Vallesius & Fracastorius *luem veneream inter novos morbos connumerant. Erat enim priscis seculis apud Indos solùm endemius. Posteà Hispanos ob impurum concubitum cum Indiæ fœminis habitum invasit. Exinde Gallos: quonomine Galli eam morbum Neapolitanum, & scabiem Hispanicam: Hispani verò Gallicum appellârunt morbum.*

Neoterici quidam scriptores *Scorbutum inter novos morbos recensent. Illum suspicantur Volvulum esse hæmatiten* Hippocratis. *Quidam ipsum ad magnos* Hippocratis *lienes referunt. Alÿ scelotyrben, Stomacacen, & Gingipedium vocant, nimirùm ab ore, gingivis, & pedibus malè affectis. Estque morbus Balthici maris accolis, ÿsque, qui Oceano germanico adjacent. & inferiori Saxoniæ familiaris, scil.* Westphalis, *Pomeranis, Hollandis, Selandis, Danis, Norvvegis, Frisiis &c.*

Adducunt & febrim Hungaricam, luem Brunnensem *in Moravia, varÿ generis lues alias, in quibus animalcula soricibus, muribus, formicis, anguillis, dracunculis, tincis piscibus, ranis, astacis, sive gammaris, similia deprehensa. Nata primùm in humanis corporibus, posteà per os, urinæ ductus, uterum, alvum, loca alia, vel sponte, vel arte excreta: de quibus novarum rararumque & & monstrosarum historiarum scriprores consuli possunt.*

Quæri ergo haud immeritò posset *de horum morborum*

rum causa. Plutarchus *loco allegato varias & multiplices causas recenset: nimirùm mutatas corporum temperaturas, novitium & inusitatum aërem inspiratum, aquam extraneam potam, esculenta peregrina, & priùs minimè ingesta, & præposterum perversumque ciborum ordinem*, μιάσματα, *& inquinamenta contagiosa nova, quæ ex motibus terræ, squaloribus & imbribus, à quibus venti, flumina, fructus, fruges, & legumina cæco abditoque modo afficiuntur & alterantur.* Causis istis addi queunt *influxus siderum, & constellationes astrorum infaustæ atque infelices, quæ quandoque integris in regionibus novas ægritudines accersunt, & multa hominum millia è medio tollunt. Nihil autem, inquit doctissimus* Langius, *æquè novos parit morbos, & veteres innovat, ac prava in cibo potuq; victus ratio.* Ἐκ τούτων γὰρ νοσοῦμεν, *ait* Diogenianus *apud* Plutarchum, οἷς καὶ ζῶμεν, *ex his ægrotamus, quibus vivimus. Vivimus autem potissimùm cibo ac potu. Ergo iisdem etiam ægrotamus: cùm scil. in quantitate, qualitate, tempore, & ordine aberratur.* Cajus Julius Cæsar *sua in historia de bello civili refert, Massilienses sæva conflictatos fuisse pestilentia, quòd in obsidione ob famem & annonæ penuriam panicum & hordeum exoletum comedere coacti fuissent.*

Plinius lib. 25. cap. 3. *notat, in Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu, fontem fuisse aquæ, qua pota, intra biennium dentes deciderint, & compages in genibus fuerint solutæ.*

Quot quantaque corporis vitia, etiam priùs non visa, fames illa, quæ per plurimas olim Romano Imperio subditas gentes sæviebat, induxerit, Galenus cap. 1. libri de succorum bonitate & vitio *prolixè ostendit. Eam enim nullam habuisse causam aliam scribit, quàm quòd incolæ*

 ob con-

ob consuetorum ciborum inopiam pravi succi alimentis, sylvestribus nimirùm herbis, fruticum germinibus, ac turionibus, bulbis, noxiis radicibus, & oleribus agrestibus, abundè ad saturitatem usque usi fuerint, virides insuper herbas ingurgitârint elixas, quas anteà nunquam, ne periculi quidem faciundi gratia, degustaverant.

VI.

QUid apud Hippocratem sit τὸ θεῖον, divinum? Hippocrates in limine suorum prognosticorum monet Medicum, ut in curatione morborum diligenter dispiciat, an in morbis divini aliquid lateat? Quæritur ergo non immeritò, quid per illud sibi velit? *Ad hanc quæstionem variis modis, & priscis, & nostro etiam seculo, ab authoribus fuit responsum. Nos, omissis aliorum opinionibus, persuasum habemus,* Hippocratem *per τὸ θεῖον principaliter quidem innuere causam aliquam occultam, quæ σύνεσιν ἀνθρωπίνην excedat, internam pariter atque externam: eamque vel hyperphysicam, qualis est, quæ ab artibus magicis, veneficiis, & incantationibus prodit: vel physicam: & rursùs aut cœlitùs deductam, aut ab aëre, aqua, terra, animalibus, stirpibus, fossilibusve & mineralibus corporibus profectam, quæ affectus pestilentes, venenatos, contagiosos & κακοηθεῖς, malignos, generat: cujus generis sunt pestis ipsa, febres petechiales, lues Venerea, elephantiasis, itemque illi affectus, qui ortum ducunt à morsu canum rabie correptorum, ictu viperarum & scorpionum. Adhæc à plantis deleteriis: utpotè à Cicuta, Hyoscyamo nigro, Napello, Solano furioso, Mandragora, Taxo, Rhododendro &c. Denique à fossilibus corporibus, nempè ab Arsenico, Auripigmento, Antimonio, Argento vivo &c. Hisce affectionum generibus*

addere

addere licet illa, quæ causas habent & symptomata mirabilia: ut catalepsis, mania, melancholica, noctambulatio, pica gravidarum, strangulatus ab ultro, bulimia, furor ἐρωτικὸς, *amatorius, &c.*

VII.

UTrum si in magnis morbis & symptomatibus facies sit bona, signum etiam sit bonum? *Per bonam faciem* Hippocrates libr. 6. epid. sect. 2. *intelligit eam, quæ similis est faciei secundum naturam se habenti.* Et in prognost. *jubet, ut in morbis acutis facies ægri consideretur, an similis sit sanorum faciei, & cumprimis suæ ipsius? Talis enim* optima *censenda est. Quæ verò ab hâc similitudine recedit, pessima. Talis autem est, inquit, si nasus fuerit acutus, oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidæ & contractæ, & extremitates earum aversæ, cutis circa frontem dura, intenta ac arida, totius faciei color pallidus, niger, lividus, vel plumbeus. In summa, utcunq; morbus fuerit diuturnus, tamen si facies ægrotantis existat bona, nil mali magnoperè verendum. E contrà, licet morbus sit brevis, si tamen facies mala sit, ægro præsens exitium imminebit. Facies enim bona, quæ in ægrotantibus apparet, in mole corporea, colore, figura, aliisque qualitatibus, uti virium robur, caloris firmitatem, sanguinis bonitatem, & spirituum puritatem patefacit, ita facies hæc posterior carnis & pinguedinis contabescentiam, caloris paupertatem, sanguinis defectum, & spirituum obscuritatem, vel paucitatem revelat.*

VIII.

QUid sentiendum de illis συζυγίαις, combinationibus, quæ extant apud Hippocratem libro. 6. epidem.

epidem. sect. 3. Συζυγίαι illæ 4. sunt sequentes. I. Si cutis sit rara, h. e. admodùm porosa, patens atque aperta, eam sequitur κοιλίης πυκνότης, alvi adstrictio, sive constipatio. Ratio est; quoniam ob cutis raritatem, & meatuum laxitatem, multa supervacua per illam emittuntur: ita ut alvus posteà necessariò adstringatur. Contrà, si cutis sit densa, tunc venter ac vesica multa excernunt, eò quòd supervacua quæ sunt per alia loca egeri nequeant.

II. Si cutis adsit ξύνδεσις, constrictio, tunc carnium sequitur αὔξησις, incrementum. Ratio est, quia tunc calor minùs exhalat, minorque fit partium resolutio, & proptereà carnium promovetur accretio.

III. Si ventriculi præsens sit νάρκωσις, torpor, h. e. ad concoquendos cibos, & conficiendum chylum imbecillitas, sequitur vasorum impuritas. Crudus enim chylus ad hepar transit, quem hepar in bonum ac laudabilem sanguinem mutare non potest. Ideóque in venas immissus immundiciem in illis parit. Nam quod in concoctione prima non probè digeritur, id in secunda perfectè corrigi nequit. Ablegatum autem ad genus venosum, illius sanguinem conspurcat.

IV. Si cerebri præstò sit ἀνάλωσις, consumptio, sive diminutio, sequitur φαλακρότης, calvities, & organorum κατάτριψις, attritio. Intelligit autem Hippocrates per ἀνάλωσιν non omnimodam cerebri consumptionem (hæc enim vivo animali accidere non potest,) sed duntaxat quandam μείωσιν, diminutionem, quam in calvescentibus fieri constat. Cerebrum enim siccius factum ab ossibus sincipitis nonnihil recedit, & subsidet, & in suam ipsius basin depressum cadit. Quo fit, ut ob cerebri defectum ossa sincipitis evadant aridiora, quoniam ad ossa illa cerebrum non pertingit. Ossibus istis ob diminutionem

neus cerebri arefactis, ipsa quoque cutis illis superposita exarescit, quam ariditatem capillorum defluvium & calvitium consequitur. Quando ergo cerebrum valdè exaruit, ut quibusdam contingit in senectute, tunc, inquit Galenus in comment. lib. 6. epidem. sect. 3. §. 1. etiam nervorum exortus fit aridior. Quare nec perinde, ut priùs, sensus & motus exerceri possunt, quoniam harum actionum ὄργανα debilitantur: id quod Hippocrates κατάτριψιν, attritionem vocavit: metaphora desumpta à vestibus & vasis, quæ nimio usu siccata dicuntur attrita.

Cæterùm quæri hic posset, ὡς ἐν παρόδῳ, quî fiat, quòd senes solùm calvescant, non item pueri, mulieres, & eunuchi? Respondet Galenus, senes calvos fieri duas ob causas. I. Ob siccitatem cerebri, quæ facit, ut cerebrum subsideat, & sincipitis ossa non attingat. II. Ob siccitatem cutis, & subjecta ossa sincipitis. Materia ergo, veluti nutrimento, capillis denegata, capillorum oboritur defluvium. Puerorum, mulierum, & eunnchorum cutis humida est, & cerebrum molle ac humidum, & ita comparatum, ut calvariam tangere, omnemque illius interiorem cavitatem implere valeat: quo fit, ut calvitium inhibeatur. Quæri & istud posset, cur calvitium tantùm in sincipite cernatur, non etiam neque in temporibus, neque in occipite? Iterùm respondet Galenus, causam esse, quia cutis ibi est humidior propter carnes. In temporibus enim situs est magnus ille musculus crotaphita, qui maxillam inferiorem sursum trahit: in occipite autem musculi consistunt splenij, complexi, rect[illegible] qui; qui capitis motibus sunt aßignati. Cuti[illegible] pitis siccior est, quoniam ibi nulla est caro, q[illegible] sed ossa solùm sincipitis, quæ sicca.

IX.

AN rectè ſentiat author libri de flatibus, ſtatuens, febrim omnium morborum eſſe comitem? *Febrim morbum eſſe frequentiſsimum, & plurimos etiam comitari affectus, vel illis ſupervenire, aſſerimus: omnium autem in univerſum morborum comitem eſſe pernegamus, & ad experientiam provocamus. Adeſſe viſcerum inflammationibus, eryſipelatibus, & corruptelis, obſtructionibus item, & intenſis doloribus, atq; ardoribus interiorum & exteriorum partium, vulneribus, fracturis, luxationibus, aliisque affectibus, manifeſtum eſt. Verùm liquet etiam, multos eſſe affectus, quibuscum nulla febris eſt conjuncta: ut ſunt affectus ſuporoſi, lethargo excepto, paralyſis, melancholia, raucedo, gravedo, icterus, herniæ ſpecies,* ἀτροφία *membrorum, gutta roſacea faciei, plures alii.*

X.

AN infantes adhùc lactentes, aut jam ablactati purgentur, ſi tali lacte paſcantur, quod vel à matre, vel à nutrice, vel etiam à capra profectum, quæ elaterium, aut ſylveſtrem cucumerem aſſumſit? Hippocrates *affirmativam tuetur*, libr. 6. epidem. ſect. 5. *Meminit autem more ſuo unius ſolùm purgantis pharmaci, elaterii ſcil. quod eſt ſuccus cucumeris aſinini, ſed ſubintelligit quodvis medicamentum catharticum. Ratio dicti* Hippocratei *eſt, quoniam elaterium, aut quodvis aliud ſubductorium medicamen, quando concoctum eſt* [illegible] *matris, nutricis, aut capræ, vim purgatricem* [illegible] *ex quo lac generari in mammis mulierum, &* [illegible]*prarum ſolet, communicat. Verum hoc eſſe,* Galenus *aliquot exemplis declarat.*

I. *Est, quia experimur, quòd comestorum qualitates etiam in excrementis sentiantur.*

II. *Quia quando verno tempore in Asia capræ scammoniæ germina assumserunt, lac purgatorium gignunt. Quod ipsum quoque faciunt, cùm Tithymalo sunt pastæ.*

III. *Quoniam in Doride, Boeotia, & Thessalia, viciniisque locis omnibus, multi ex coturnicum esu spasmo correpti sunt. Coturnices enim elleboro ibi nutriri solent: qui spasmum efficere potest liberalius ingestus, teste* Hippoc. aphor. 1. sect. 5. & aphor. 16. sect. 4.

IV. *Quia refert, novisse se, quòd quidam Athenis in convulsiones inciderint, quia nimis largiter coturnicibus se implevissent.*

Et cur quæso purgantia pharmaca vim suam assumptis & concoctis cibis non impertirent, cùm sciamus, etiam ciborum & potuum genera, ut fructus æstivos, & autumnales, acetaria, & olera, gelidam item aquam, & mustum lactentibus plurimùm obesse, quando eorum nutrices illa vel comederunt, vel biberunt?

XI.

AN φθίσις, quam Hippocrates etiam φθόην vocat, possit curari? *Consummata nunquam, quicquid nonnulli, qui sua, si Dijs placet, experimenta crepant, ægris polliceantur: idque* ob assiduum pulmonum motum, *qui consolidationem ulceris in illis impedit.* Ob tussim, *quæ vehementer urget, quò pus, aliaq; excrementa in pulmonibus contenta, expectorentur. Nam & illa consolidationem remoratur: imò si quid jam consolidatum sit, iterùm distrahit atque divellit.* Ob pulmonum humiditatem, *& excrementorum cerebri frequentem exceptionem. Moderata enim siccitas ulceribus competit.*

Ob

Ob *ἀδυναμίαν τῆς θεραπείας, quoniam pharmaca ægrè, & parva in quantitate ad pulmones ferri possunt.* Ob contrarias indicationes, *quæ curam reddunt difficilem & dubiam. Febris enim, qua phthisici perpetuò laborant, & quæ instar alicujus ignis lenti triplicem corporis substantiam paulatim absumit, adeò ut æger tandem vivum sceleton repræsentet, refrigerantia & humectantia postulat: ulcus autem his contraria requirit.*

XII.

UTrum lienteria proprius sit affectus ventriculi, an intestinorum? Galenus comm. 6. aphor. 1. *scribit, eos, qui nomen huic affectui imposuerunt, existimâsse, lienteriam vitium esse intestinorum. Fieri enim ob lævitatem internæ illorum superficiei, quæ faciat, ut cibos, qui in illis continentur, non ampliùs ita retineant, sicuti, cùm suam servâssent asperitatem, retinebant. Verùm* Galenus *eos refutat, & longè aliam istius affectus causam esse, aliamque partem affectam dicit. Illam autem ventriculum esse asseverat, eò quòd actio illius, quæ χύλωσις est, læsa sit. Exeunt enim in lienteria quæ comeduntur velociter, & quidem talia, qualia fuerunt assumpta, seorsim, aut cæteris permista excrementis: adeò ut lienteria privatio definiri possit coctionis primæ, quando nulla assumptorum facta est mutatio in colore, odore, consistentia, aut qualitate alia.* Læditur autem in ea *vel retentrix ventriculi, vel concoctrix, vel utraque simul. Retentrix, cùm tamdiu cibus in ventriculo non manet, donec sit concoctus. Concoctrix, quando in chylum non est conversus.* Utraque, *quando neque justo tempore retineri, neque debito modo concoqui potest.* Causa debilitatis retentricis *est humiditas, laxitas, & mollities ventri-*

ventriculi, qui talis redditur vel à causis externis, iis scil. quæ tonum illius dissolvunt: cujus generis sunt quæ pinguia, oleosa, humida & tepida: vel ab internis, quales sunt humores pituitosi, qui laxando efficiunt, ut cibi ad justum usque tempus in ventriculo immorari nequeant: suntque aut ex cibis lentis, viscidis & glutinosis in venventriculo geniti: aut ad illum à cerebro delati. In causa quoque esse possunt humores & vapores acres, aliquando & maligni, *qui ventriculum stimulant, atque irritant, ut cibi adhùc crudi in alvum præcipitentur. Et tales itidem vel in ventriculo gignuntur ex esu fructuum, qui facilè putrescunt, & malignam qualitatem inde contrahunt: vel aliunde proficiscuntur, atque ad ventriculum amandantur.*

Causa læsæ concoctricis facultatis *est frigida ventriculi dyscrasia; eaque vel immaterialis, citra humoris præsentiam, quæ tamen talis diu perseverare non potest: vel materialis, cui pituita est adjuncta. Refrigeratur autem ventriculus frequenter admodùm à causis externis: aëre nimirùm frigido, cibis, potibus, & medicamentis refrigerantibus, natatione in fluminibus frigidis, &c.*

Galenus loco suprà citato, *præter retentricis & concoctricis virtutis infirmitatem superficiariam ventriculi & intestinorum exulcerationem, & internæ eorum tunicæ abrasionem addit. Fieri enim posse ait, ut ab humorum mordacitate & acrimonia interior harum partium superficies excorietur, ipsaque lienteria oboriatur, tametsi vis concoctrix, aut retentrix non magnoperè lædatur. Fieri enim non posse, quin partes excoriatæ à cibis dolore afficiantur, & propterea eos propellant, atque à se ocyùs dimittant. Verùm in hac lienteriæ specie dejectio cibo-*

 rum

rum cum sensu cujusdam morsus fieri consuevit: in priori autem nequaquam.

XIII.

NUm φθίσις necessariò αἱμόπτυσιν, sanguinis expuitionem, insequatur? *Fuerunt hæmoptoici visi, qui phthisici facti; quidam etiam ab ea evaserunt immunes. Facti sunt phthisici, quando vasa in pulmonibus fuissent rupta, vel erosa. Facilè enim glutinari nequeunt. Exit igitur sanguis, grumescit, putrescit, acris redditur, tandemq; verum ulcus producit. Evaserunt autem, cùm sanguis solùm ob apertionem orificij alicujus vasis in pulmonibus expectoratus fuisset, nullumq; grumum post se reliquisset, & remedia vasa constringentia maturè fuissent exhibita. Clausis igitur orificijs vasorum, φθίσις emanebat.*

XIV.

NUnquid à diarrhœa dysenteria oriatur? *Sic quidem docet* Hippocrates aphor. 75. sect. 7. *Verùm distinctione hic opus est materiæ exeuntis. Hæc enim si acris sit & mordax, qualis esse solet bilis atra, porracea, aut æruginosa, pituita item, vel serum salsum, & si alvi profluvium duret diutiùs, tandem parere dysenteriam potest. At si acrimonia & exulcerandi vi careat, dysenteria minimè sequitur.*

XV.

UTrum si hydropi superveniat diarrhœa, hydrops finiatur? *Ita quidem sentit* Hippocrates aphor. 14. sect. 6. & aphor. 29. sect. 7. *Sed sive aqua hydropicorum spontaneo Naturæ motu excernatur, sive per medicamenta ὑδραγωγὰ evacuetur, tamen hydrops necessariò non*

solvi-

solvitur, sed tùm solùm, quando viscera, quæ hydropi occasionem præbuerunt, adhuc ita sunt disposita, ut corrigi & emendari queant. Idem enim Hippocrates libr. 2. prorheticor. *ait, si hydropicus pristinæ restitui debet sanitati, illum oportere* εὐσπλαγχνον, *bonis præditum visceribus esse, h.e. talibus, quæ non prorsùs sint corrupta & labefactata, sed ita adhùc constituta, ut ad meliorem statum reduci possint.*

XVI.

SItne tussis, quæ hypropicis supervenit, signum malum, ut asserit aphor. 35. sect. 5. Imò ut aphor. 47. sect. 7. habet, planè ἀνέλπιστον, ejusmodi indicium, quod convalescentiæ spem omnem nobis eripit? *Non omnis tussis tale signum est: sed illa solùm, inquit* Galenus in commento, *quæ orta à tanta aquosæ humiditatis copia, ut jam bronchia, sive fistulas pulmonum adimpleverit. Periculum enim imminet, ne homo non ita multò pòst suffocetur. Quodsi tussis hydropicorum à causa quapiam alia fuerit excitata, v. g. à destillatione è cerebro, exitiale signum non est.*

XVII.

AN calculus vesicalis, qui jam ad siliceam est perductus duritiem, non ampliùs sit friabilis, possit medicamentorum ope dissolvi, & in sabulum mutari? *Gloriosi quidam jactatores hanc illius dissolutionem ægris, atq; etiam in aquam conversionem thrasonicè pollicentur. Sed promissis stabunt, quando lupus uxorem duxerit ovem, & testudo cursu præterverterit leporem. Adeò enim duri quandoque sunt calculi vesicales, ut ne quidem cheirurgicis instrumentis in vesicam immissis frangi conterique possint. Quid igitur efficient medicamina*

instrumentis illis longè debiliora; *Sed quod* Galenus lib. 8. meth. med. cap. 6. *de Diatritraryis, verè λογιατροῖς, scripsit, id non immeritò etiam in ejusmodi thrasones, qui ampullas & sesquipedalia verba projiciunt, quadrat, quòd ne quidem ipse Mercurius cum Musis eorum stupiditatem sanare poßit: quoniam, ut idem* l. 13. meth. med. cap. 6. *aït, inscitia & ignorantia vitium est indelebile, præsertim si cum fastu & superbia sit conjuncta.*

XVIII.

AN solum, sive terram mutare in chronicis morbis utile sit? *Ajentem defendit* Hippocrates lib. 6. epid. sect. 5. *Istam autem mutationem ægris ratione aëris commendat, quoniam magna illius est in corpus nostrum potestas. Foris enim nos ambit, & per os ac nares, imò & per spiracula cutis attrahitur. Nil autem refert, inquit* Galenus, *sive quis navigando, sive eundo, sive, addimus nos, equitando, sive in curru vehendo, in aliam regionem migret, dummodò aër ille peregrinus sit contrarius illi, quo in æger est versatus, nec non & morbo, quo æger conflictatur. Oportet enim in morbo humido se conferre ad locum siccum: in calido ad frigidum: in frigido ad calidum: in sicco ad humidum. Eodem modo, si morbus sit calidus & siccus, abeundum est ad huic contrarium, & sic in cæteris qualitatum conjugationibus. Iuvabitur verò æger adhæc magis, aït idem* Galenus, *si pro modo, quo morbus à naturali statu discesßit, ad contrarium aërem mutationem instituat. Etenim morbus ad paulò frigidiorem statum à naturali temperie recedens, aërem quoque paulò mediocri temperatura calidiorem postulat. Morbus verò longiùs à dicta temperiè recedens etiam excessum aëris majorem, eumq; calidiorem requirit.*

Taci-

Tacitè autem Hippocrates *monet, quòd hæc aëris mutatio in morbis duntaxat diuturnis sit suscipienda, non in illis, qui noviter hominem invaserunt. Oportet enim priùs alia tentare remedia, posteà, ubi ea nihil profecerint, solum vertere. Atque hoc præceptum de loci mutatione* Galenus *diligenter Romæ observavit. Phthisicos quippe ad collem Tabiarum, locum siccum, amœnum, & ventis Subsolano, Euro, & Borea perflatum, ablegabat: quemadmodum ipse testatar* lib. 5. meth. med. cap. 12. Plinius lib. 30. cap. 8. *refert, quosdam phthisicos olim in AEgyptum navigâsse.* Qui vitare pestem conantur, *benè sibi consulunt, si* mox *salubriorem quærant aërem: ad* longinqua loca *abeant:* & tardè *ad pristinum revertantur.*

Morbo gallico infecti, *dùm curantur, calido in conclavi detinentur, ut poris apertis halitus & fuligines venereæ luis expirent.*

Variolis & morbillis laborantes *calidum aerem exigunt, ne dùm Natura occupata est in expulsione, à frigido aere impediatur, & noxia materia repercutiatur.*

Veteres æstivo tempore *pavimenta floribus & herbis refrigerantibus conspergebant, conclavia quoque aqua frigida sæpiùs rigabant, ut aer pro acutè febricitantibus pararetur frigidus.*

Plurimùm enim in aere morbis conveniente situm est: quoniam is indesinenter, noctu atque interdiu, ægris inspirandus est. Nam si morbo sit adversus & contrarius, multùm juvat: sin similis, morbum fovet, auget atque sustentat.

XIX.

QUomodo in corpore nostro sit confluxiò una, conspiratio una, & consentientia omnia, velut

Hippocrates libro de alimento *docet? Mirus est consensus partium nostri corporis: & primùm per humores.* Fluit enim chylus ad hepar, *per intestina & venas mesenterij, ut inibi mutetur in sanguinem.* Fluit sanguis *ab hepate per venas in universum corpus, ut id nutriat.* Fluit sanguis vitalis *à corde per arterias, ut totum corpus, ejusque partes illo quasi quodam condimento & sale non alat solùm, sed etiam à putredine eas praeservet.* Conspirant partes *per spiritum animalem, qui derivatur per nervos pro sensu & motu.* Conspirant per spiritum vitalem, *qui per arterias in totum ablegatur corpus, ut illud quasi vivificet, putredinem arceat, & actiones partium promoveat.* Conspirant per spiritum naturalem, *qui per venas ad omnes derivari partes perhibetur, quod tamen in medio nunc relinquimus.*

Consentiunt inter se partes *corporis nostri multipliciter. I. Ob vicinitatem. II. Ob generis societatem. III. Ob vasorum communionem. IV. Ob loci, sive situs commoditatem. V. Ob materiae communicationem. VI. Ob cerebri, cordis, & hepatis influxum. Placet consensus istos aliquot illustrare exemplis.*

Ob vicinitatem consentit *cor cum pulmone: quoniam illi, tanquam culcitrae, insidet: uterus cum vesica & intestino recto, quia utrique parti est contiguus.*

Ob generis societatem *consentit ventriculus cum intestinis, quia utraque pars est membranosa.*

Ob vasorum communionem *pulmo consentit cum corde: quia quicquid pulmo arteriarum habet, à corde accepit: ventriculus cum liene per vas breve.*

Ob loci, situsve commoditatem *consentiunt cum cerebro oculi, aures, nasus, aspera arteria, pulmo, ventriculus,*

culus, spinæ medulla, quoniam partes istæ cerebro subjacent, & facilè ab eo aliquid excipiunt.

Ob materiæ communicationem *consentiunt partes, quæ sentiunt & moventur cum cerebro, quoniam ab illo spiritum animalem per nervos consequuntur. Partes, quæ à putredine conservandæ, & quarum calor fovendus, cum corde, quoniam per arterias sanguinem spiritumque animalem ab eo adipiscuntur. Partes omnes, quæ alendæ, cum hepate, quia sanguinem ab illo per venas nanciscuntur.*

Ob ἐπιῤῥοὴν, influxum, *consentiunt partes cum cerebro, corde, & jecore, quia, uti modò dictum, à cerebro vim acquirunt sentiendi & movendi: à corde vivendi: à jecore nutriendi: idque per spiritum animalem & vitalem, sanguinem etiam, quo nutriuntur.*

XX.

QUæ sit causa tantæ hominum dissimilitudinis in facie? *Magnam quidem videre licet dissimilitudinem in animalibus brutis: magnam quoque in stirpium genere, ratione magnitudinis, figuræ, coloris, odoris, saporis, virium & facultatum, etiam in eadem specie: at tanta se in illis non offert, quantum nos videmus in homine: & cumprimis in facie. Ex multis enim millibus paucissimi reperiuntur, qui, quo ad faciem, prorsùs inter se sint similes. Haud ergò immeritò quæritur, quæ tantæ facierum dissimilitudinis sit ratio? Respondetur, causas esse præcipuè sequentes.*

I. Est primordiorum generationis, *sanguinis scil. materni, & seminis utriùsque sexus diversitas. Nam licet sanguis & semen eadem semper sua in specie maneant, accidentibus tamen inter se differunt.*

II. Phan-

II. Phantasiæ matrum varietas, *& variorum hominum, imaginumque creber intuitus. Quanta autem Phantasiæ vis sit atque potentia, notiùs est, quàm ut hic declarari debeat.*

III. Varietas ciborum ac potuum, *ex quibus sanguis, & ex hoc semen procreatur.*

IV. Causam aliqui referunt *ad diversitatem regionum, quæ differunt inter se ratione influentiæ siderum, aëris, aquarum, victus, & educationis liberorum.*

XXI.

AN qui plures habent dentes sint longævi? Qui vero pauciores & rariores obtinent, vitæ sint brevis? *Priùs affirmat* Hippoc. lib. 2. epid. sect. 6. *Posteriùs verò* Aristoteles lib. 10. problem. 47. *Dentium pluralitas vitæ longioris & ut signum, & ut causa est. Ut signum, quoniam vel paucitatem spermaticæ materiæ inopiam, vel formatricis facultatis imbecillitatem arguit. Ut causa, quoniam qui paucos habent dentes, cibos probè non comminuunt, & ventriculo eos non satis præparant. Hinc χύλωσις perfecta fieri nequit, nec bonus inde sanguis generari, nec felix partium nutritio fieri potest. Absumitur igitur ocyùs humidum primigenium, quoniam vitioso foveri sanguine non potest. Hoc autem absumpto, pereunt calor & spiritus innatus, perire quoque vitam est necesse.*

XXII.

AN flatus omnium morborum causæ sint? *Author libelli περὶ Φυσῶν, qui ab* Erotiano, Mercuriali, & Foësio *pro* Hippocratis *monumento agnoscitur, ajentem defendit. Sive autem per τὰς Φύσας, flatus, sive τὰ πνεύματα, spiritus, sive τὸν ἀέρα, aërem author istius libelli*

belli intelligat, veritati minimè consonum videtur, quòd omnes in universum morbi, nullo excepto, ab hisce corporibus proficiscantur. Concedimus quidem, morbos plurimos à flatibus ortum ducere; nempè quosdam capitis dolores, quandam apoplexiam, epilepsiam, capitis gravitatem, affectus soporosos, melancholiam hypochondriacam, quam Diocles φυσώδη, *flatulentam appellare solebat, suffusiones oculorum, aurium dolores, tinnitus, sibilos, susurros & strepitus, cordis palpitationem, inflationes ventriculi, intestinorum, & uteri, colicam quandam, tormina nonnulla ventris, & uteri, tympaniam, physocelen, tumores quosdam alios, &c. Negamus autem, morbos omnes ab illis provenire. Sunt enim & morbi sanguinei, ut febres synochæ, putridæ, & putredinis expertes, inflammationes, tubercula & pustulæ nonnullæ: & biliosi, ut febres ardentes, intermittentes & continuæ, erysipelata, icterus, &c. & pituitosi, ut febres quotidianæ intermittentes & continuæ, œdemata, leucophlegmatia, &c. & melancholici, ut febres quartanæ continuæ & intermittentes, scirrhi lienis, cancrosi tumores, melancholia, mania, &c. & serosi, ut ascitis, pustulæ aquosæ, hydrocele, hydrops thoracis, pulmonum, & uteri, &c. Ut de ulceribus, vulneribus, fracturis, & luxationibus nihil jam dicamus: nisi statuatur, Authorem libri allegati voluisse, flatus internorum duntaxat morborum causas esse: quòd tamen & ipsum concedi non potest.*

Spiritus quod attinet, *siquidem fuerint in quantitate & qualitate laudabiles, sufficientes scil. subtiles & puri, nullum pariunt morbum: parere autem possunt, si crassi, turbidi, & impuri extiterint: quia actiones impediunt.*

Aër per omnia anni tempora, *temporumque καταστάσεις morbos inducit plurimos: eosque vel suis qualita-*

tibus excesſivis: *vel* μιάσμασι, *inquinamentis*, *quæ* Hippocrates lib. 2. de Natur. hum. ἀποκρίσεις νοσερὰς, *&* ἀποῤῥοίας νοσώδεις *appellat*, *morboſa ſcil. effluvia*, *& excretiones*, *ſive exhalationes*, *quæ à variis cauſis prodeunt*, *utpote ab aquis reſidibus*, *lacuſtribus & ſtagnantibus*, *profundis ſcrobibus & ſpecubus*, *quos* Galenus χαρωνείους βαράθρους *nominat*, *mortiferos emittentibus halitus*, *antris item atque cavernis*, *è quibus lethales erumpunt flatus ac vapores*, *aërique poſteà admiſcentur*. *Adhæc à cadaveribus inſepultis*, *fructibus*, *oleribus*, *frugibus*, *rebus aliis putrefactis*, *& tetros malignosque ſpiritus eructantibus*: *de quibus aeris vitiis* Hippocrates ſect. 3. aphorismis benè multis *verba facit*, *& quos morbos inferant*, *exponit*.

XXIII.

QUid ſint flatus? quæ illorum materia? quæ cauſa efficiens? ubi generentur? qui eorum ſint effectus? quibus remediis profligentur? *Flatus* Hippocrates *vocat* Φύσας: Galenus πνεύματα ἀτμώδη, *ſpiritus halituoſos*: *Barbari ventoſitates*.

Sunt vapores craſſi, *impuri*, *turbidi*, *& quaſi nebuloſi*.

Materia illorum externa *ſunt cibi ac potus flatulenti*: *ut fabæ*, *piſa*, *lentes*, *phaſeoli*, *caſtaneæ*, *rapæ crudæ*, *cepæ*, *allium*, *raphanus*, *muſtum &c. Adhæc cibi phlegmatici*: *ut partes animalium membranoſæ*, *tendinoſæ*, *ligamentoſæ*, *piſces ſquamis carentes*, *& in lacuſtribus ac paluſtribus aquis legentes &c.* Interna *ſunt*, *humores craſſi*, *crudi*, *viſcoſi*, *& glutinoſi*.

Efficiens cauſa *calor eſt debilis*, *qui quidem in materiam agit*, *eam autem non prorsùs vincit*. *Agit ergò diminutè*: *eò quòd eam*, *ſive alimentum ſit*, *ſive humor aliquis*, *ex parte aliqua diſſolvat*, *nec prorsùs tamen conficiat*.

ficiat. Tunc enim spiritum quendam turbidum, & quasi nebulosum inde exuscitat. Fortis autem tantùm abest, ut flatum gignat, ut etiam genitum attenuet ac discutiat: quoniam materiâ, in quam agit, longè est potentior. Frigiditas sincera flatus nullos producit.

Generantur flatus *vel in cavitatibus sensui nostro manifestis: v. g. in ventriculo, intestinis, utero, vesica, scroto, cavitate abdominis & thoracis, cerebri & cordis ventriculis, capsula cordis, bronchÿs pulmonum &c. vel sensui nostro abditis atque occultis: v. g spatiolis inanibus partium similarium, nervorum spiraculis, sub membranis quæ ossa, musculos, & viscera tegunt, sitis.*

Effectus flatuum *adeò sunt varÿ & multiplices, ut Author lib. de flatibus asserat, flatus omnium morborum causas esse. Nam in* capite excitant *capitis gravitatem, inclinationem crebram ad somnum, cephalalgiam, epilepsiam, siquidem διάθεσιν habuerint ἐπιληπτικὴν, apoplexiam illam leviorem brevioremque, vertiginem &c.* In oculis *suffusiones, visus obscuritatem &c* In auribus *tinnitum, sibilum, susurrum, strepitum, otalgiam, auditus difficultatem &c.* In thorace *pleuritidem spuriam, laterumque dolores, &c.* In corde *palpitationem, leipothymiam, syncopen, præsertim si quid malignitatis in se habuerint &c.* In hepate *dolores atroces, quando inter illius membranam & parenchyma sunt inclusi, eam ab hoc divellentes: ut* aphor. 52. sect. 7. *legitur. Idem efficiunt* in liene, *in quo multi sæpè flatus abundant.* In ventriculo *eructationes, inflationes, singultus, dolores &c.* In intestinis *cruciatus colicos & iliacos, rugitus, murmura, crepitus sedis &c.* In utero *præfocationes, si fuerint maligni, inflationes, dolores.* In abdomine *tympaniam. &c.* In scroto *hernias flatuosas. Præter hosce affectus creant*

etiam in facie *intumescentias*: in ore *oscitationes*: *in artubus palpitationes & pandiculationes*: in cute *tumores flatulentos*.

Flatus discutiunt atque extirpant *ea, quæ vim calorificam, discussoriam & dissipatoriam habent: cujus generis plurima tùm simplicia, tùm composita pharmaca, interna & externa, solida & liquida, in officinis extant pharmaceuticis, quæ brevitatis studio nunc omittimus.*

XXIV.

QUæ causa, quod Hippocrates libro de locis in homine dicat, si lien in morbo aliquo factus fuerit magnus, reliquum corpus contabescere? *Dicti istius meminerunt etiam* Plato in Timæo, & Galenus lib. 2. de nat. facult. cap. ultimo. *Ratio autem est evidens & manifesta. Etenim tumidus magnusque lien indicium est, lienem vel esse obstructum, vel repletum valdè, vel virium laborare imbecillitate, ut non ampliùs attrahere poßit, vel saltem admittere nequeat excrementum melancholicum. Hinc fit, ut sanguis in hepate evadat deterior, utpote non probè defæcatus. Talis autem si in corpus distribuatur, partibus illius non aßimilatur. Unde accidit, ut corpus suo defraudatum genio minuatur, & quasi contabescat.*

XXV.

AN interdum nullum medicamentum optimum sit medicamentum? *Sic docet* Hippocrates libr. περὶ τέχνης. *Intelligendus est autem non secundum τὸ ῥητὸν, sed secundum τὴν διάνοιαν. Vult enim, feriandum quandoque esse Medico, & abstinendum à medicamentorum usu. Hoc namque esse optimum medicamentum, id est, valdè utile & conducibile esse: quia Medicus, habito*

bito respectu ad Naturam, heram suam, triplex gerit officium : Adjutoris, Imitatoris, & Spectatoris. Adjutor est, *quando Natura non potest per se ipsam, quod intendit, præstare, eò quòd id vires ejus excedat: ut fracta ossa coaptare : luxata suum in locum reponere : disjuncta vulnerum labia conjungere : uterum & intestina extra proprias sedes prolapsa ad consueta loca retrudere : coalescentias digitorum, palpebrarum, labiorum, sedis, aliarumque partium dividere: oculorum pterygia adimere : calculos vesicæ grandiores & siliceam jam adeptos duritiem ejicere : polypos extirpare: varorum & valgorum crura rectificare: ichorem, pus, & sordem in ulceribus ac vulneribus genitam eluere. &c. Aut quando adeò debilis est atque infirma, ut superfluitates corporis sufficienter evacuare non valeat.*

Imitator est: *quia quemadmodum Natura cuncta quàm optimè administrat: idque assiduè molitur, ut corporis valetudinem tueatur, noxasque pro viribus propulset: sic Medicus actiones suas eò dirigit, ut quæ secundum naturam sunt, conservet, quæ præter naturam abigat. Naturam quoque imitatur in eo, ut quò Natura in evacuatione vitiosarum materierum, & ad quas vias vergit, per easdem etiam Medicus juxta* aphor. 21. sect. 1. *suas instituat vacuationes. Et sicut Natura, velut* Hipp. lib. περὶ τέχνης *docet, malum sentiens mederi magnoperè gestit, considerans tamen, ne temeritate magis, quàm consilio, & ut facilitate potiùs, quàm violentia medeatur, sic quoq; Naturæ ὑπηρέτης, minister Medicus, eundem operandi modum ac rationem sibi habet commendatam.*

Spectator denique est, *nihilq; agit, cùm Natura per se ipsam, sponte sua sufficienter id præstat, quod ad consequendam valetudinem est necessarium. Hocq; munere &*

 officio

officio tùm eumprimis fungitur, quando Natura in κρίσει morborum, quæ fieri solet vel per ἔκκρισιν, excretionem, vel per ἀπόστημα, abscessum, est occupata, & morbificum humorem jam concoctum, die critico, per loca conferentia, integrè extirpat. De quo illius officio idem Hippoc. aphor. 20. s. 1. *monet, præcipitque, ne quæ judicantur, aut judicata sunt justè, moveamus, nec aliud quicquam novemus, sive medicamentis, sive aliis irritamentis id fiat, sed quiescamus, ne Naturam intempestiva diæta, pharmacia, aut cheirurgia à suo abstrahamus officio.*

De hoc spectatorio Medici officio, *quando feriari, & usum medicamentorum aliquandiu suspendere tenetur, etiam* Aretæus lib. 1. de curat. chron. morb. c. 5. & Aëtius tetrabibl. 2. serm. 2. c. 10. *prudentissimè loquuntur, Is enim ait in genere, quamdiu medicatio adhibetur, tamdiu morbus permanet, quamvis debilitatus mitiorq; factus. At si homo vires instauret, bona scil. diæta, simul omnia morbi vestigia obliterantur. Hic verò asserit in specie, multos melancholicos in curationis actu nihil percepisse commodi: cura verò dimissa, restitutos esse: eò quòd Natura victoriam reportârit, morbiq; sint debiliores redditi. Dandam igitur Naturæ esse remissionem. Videtur enim unà cum curationibus affligi; in quiete verò invalescere, ac morbos superare, jam anteà attenuatos. Diem enim & quietem morbos sanare.* Quod consilium magnorum istorum virorum *diligenter illi observare debent, qui nunquam sunt otiosi, sed toties, quoties ægros suos visitant, pharmaca illis, nulla etiam urgente necessitate, præscribunt; quibus tamen Naturam solùm onerant, & gravant, ægrorum loculos nummis emungunt, pharmacopæis autem gratissimum præstant officium.*

XXVI.

NUm caro leporina corpori conciliare possit formæ elegantiam & venustatem? Plinius libr. 28. cap. 19. *refert, vulgo persuasum esse, esu carnis leporinæ corpori gratiam, h.e. pulchritudinem in 7. dies conciliari. Sed placitum istud frivolum appellat jocum. Cujus sententiæ* Martialis lib. 5. epigramm. 30. *subscribit. Nam si leporinæ carnis esu homines redderentur formæ pulchritudine conspicui,* Gellia *sua, utpote valdè deformis, eam nunquam gustâsset, cùm tamen persuadere voluerit* Martiali, *fore illum decoro & præstanti corpore præditum, & quidem dies 7. si carnem leporinam à se missam comederet. Verùm præter authoritatem etiam experientia & ratio hoc figmentum refutant. Quî enim edulium melancholicum, crassum, durum, & concoctu difficile, quodque corpus siccat & emaciat, obstructiones etiam parit, ad formositatem corporis efficiendam aliquid conferre potest, cùm impurum gignat sanguinem, qui cutem deturpare, non nitidiorem reddere valet?*

XXVII.

AN alimentum in medicamento sit optimum? *Ita judicat* Hippocrates libr. de aër. aq. & loc. *Sunt enim alimenta quædam, quæ medicatricem virtutem in se habent, quæ optima censentur propterea, quoniam & indicanti vitali; ipsis scil. viribus, & curatorio, h. e. morbo, & præservatorio, causæ scil. morbificæ, inserviunt. Sunt quoque ægris gratiora, minúsque nocent: & ægritudinem abbreviant, quoniam indicantibus omnibus satisfaciunt.* Janus Damascenus *alimentis in curatione morborum plurimùm tribuit. Si, inquit* aph. 115. *sola victus*

ratio

ratione, citra pharmacum mederi datur, nihil neq; prius, neq; rectius esse. Aphorismo 139. ait, *cibaria confortantia, odoris boni, & crasi temperatæ vicina, virtutem naturalem conservare, & membra principalia corroborare.* Aphorismo ultimo, *qui in ordine est* 160. *scribit, diæteticam medicinam præstantiorem esse pharmaceutica & cheirurgica. Ut autem alimenta quædam medicamentosa sunt, ita vicissim nonnulla medicamenta sunt alimentosa.*



PRÆSES

Ornatissimo Domino Respondenti

ὑγιαίνειν καὶ χαίρειν.

AD nostrum misit te, FREYBURGERE, Lyceum
Dilecti Patris provida cura tui.
Soliciti es Patris tu seria jussa secutus,
Húcque advenisti salvus & incolumis:
Cúmque Pater Doctor sit clarus in arte medendi,
Artem etiam voluit te didicisse suam.
Discere cœpisti Medicam feliciter artem,
Hocque satis thesibus firmiter hisce probas;
Quas tu publicitùs conaris ritè tueri,
Dotesque ingenii notificare tui.
Perge, ut cœpisti, sic gratia larga JEHOVÆ
In studiis aderit, tu mihi crede, tuis.
Gaudia sic Patri, sic gaudia sanguine junctis,
Sic etiam paries nomen in orbe tibi.

FINIS.